



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. V. Argumenta contra poßibilitatem eliciendi actum amoris Dei super  
omnia in naturâ lapsâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

abstinere statuat, & virtutem colere, quod si possit, certe præcipua difficultas est superata, nec videtur tam difficile ut hoc idem statuat animo placendi Deo, præsertim si id ut medium apprehendat ad pœnas fugiendas, & æterna præmia consequenda. Quod verò postea ingruentibus tentationibus Deum offendat, non arguit illum ejusmodi actum non habuisse, cum & post actum amoris supernaturalem homines in peccata relabantur.

SECTIO QUINTA.

Argumenta contra possibilitatem eliciendi actum amoris Dei super omnia in naturâ lapsâ

I. Qui actum amoris naturæ lapsæ Deum diligere, non proprie vera esset justificatio.

Aliud est peccatum retractari, aliud remitti.

II. Si quis ex amore naturali Deum diligere, non esset Martyr.

III. Offenditur, etiam in naturâ lapsâ posse dari cognitionem Dei naturalem, sufficientem ad excitandum illum amorem.

IV. Declaratur quo pacto ad breve tempus possit homo lapsus Deum diligere.

Differentia circa actum amoris Dei in naturâ lapsâ & integrâ.

DICES primò: sequitur hominem qui hujusmodi actum amoris Dei eliceret, fore & non fore justificatum: primum constat, esset namque perfectè ad Deum conversus; quod verò non foret justificatus, non minus videtur manifestum, alioqui posset quis solis naturæ viribus justificari. Respondetur hunc hominem in dicto casu non justificandum; quamvis namque esset conversus ad Deum conversione actuali, & affectivè, ut alibi insinuavi, non tamen conversione perfectâ, seu per renovationem internam & supernaturalem, quæ à Conciliis & Patribus requiritur ad justificationem; hæc siquidem fit tantum per gratiam sanctificantem. Aliud ergo est peccatum retractari, aliud remitti, ut constat in attritione etiam supernaturali, quæ peccatum retractat, & ab eo hominem efficaciter avertit, omnemque illud admittendæ affectum excludit, non tamen peccatum tollit.

Dices secundò: si quis naturæ viribus Deum diligere possit super omnia, ergo & super propriam vitam, ergo per meras vires naturales posset quis pati martyrium. Resp. gratiâ semper præveniri eos, qui vitam pro Deo & verâ fide profundunt: qui verò ex amore tantum naturæ corpus traderet, ita ut ardeat, non foret Martyr.

Dices tertio: deest sufficiens cognitio Dei, quæ ad hujusmodi dilectionem excitet. Contra: viribus naturæ, etiam in naturâ lapsâ cognosci potest Deus, ut auctor naturalis, nempe ut creator & conservator hujus Universi, ipsiusque adeo hominis, sicque ut plurima in nos beneficia naturalia conferens. Deinde bonitas & excellentia Dei cognosci ex creaturis potest ut summè amabilis: unde & hoc est dictamen naturale, Deus est diligendus super omnia, ergo potest homo per breve saltem tempus considerationi bonitatis Dei vacare, ejusque beneficia mente revolvere.

Cum itaque vires naturales physice sint sufficientes, utpote æquales, imò eadem cum iis in naturâ integrâ, & statu innocentie, solùmque tunc poterat per eas vires hunc actum elicere, quia appetitus aureo illo retinaculo continebatur, ne homini bellum intestinum moveret, ac tentationes & turbas excitaret, cum inquam homo frequenter, ad breve saltem tempus nullas tentationes habeat, est quoad hoc sicut in illo statu, cum hac tamen differentia, quod ibi ita tentationibus appetitus caruerit, ut irruere in eum non potuerint, hic verò possint. Quemadmodum exempli gratiâ, si duo viribus pares unâ incederet, vel navem in eodem fluvio traherent, aut propellerent nullo flante vento contrario, sanè æquè velociter incederet uter-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

que, vel navem traheret durante malaciâ, esto alter hoc sibi concessum haberet privilegium, ut nunquam vento adverso uteretur. Cum ergo hic sint omnia principia hujusmodi actus amoris, non est cur dicamus elici eum non posse.

Dices quartò: damnati in inferno nunquam cogitationem ullam congruam habent ad bonum, sed statui illi connaturaliter datur series cogitationum incongruarum, & ad amorem Dei, & quodvis aliud opus bonum, ergo idem dici poterit de statu naturæ lapsæ, saltem quoad actum amoris Dei super omnia. Nego consequentiam: disparitas est aperta: in illo enim statu damnationis nullam habent cogitationem congruam ad bonum ratione summæ miserie in eo repertæ, nempe omnimodæ desperationis omnis omnino remedii evadendi pœnas, vehementissimæ etiam apprehensionis Dei ut hostis, summæ præterea tristitiæ in voluntate de bonis amissis, præsertim beatitudine, & similibus, quæ perpetuò durant, ita ut nullo unquam momento intermittantur, at verò in statu naturæ lapsæ, ad breve saltem tempus, per intervalla cessant tentationes, & molestiæ, quo tempore nulla est impossibilitas, actum hunc amoris eliciendi, non physica, nam supponuntur vires physice sufficientes; nec moralis, hæc enim ex tentationibus ac molestiis provenit, sed hæc illo tempore nullæ sunt. Cum ergo, ut faretur Suarez cap. 35. & videtur mens aliorum qui sententiam contrariam sequuntur, speciale auxilium ad hunc actum tanquam principium illius elicivum non requiratur, sed solum ut tollantur impedimenta, non est cur elici eo tempore non possit, quo hæc sunt ablata, vel cessant.

Dices quintò: quod nunquam factum est, si- gnificum est esse moraliter impossibile juxta illud sancti Hieronymi, *Que est ista argumentatio (nempe Pelagianorum) posse esse quod nunquam fuerit, posse fieri quod nullum fecisse referis*: Sed nullus unquam viribus naturæ ejusmodi actum amoris elicit, ergo, minor probatur ex Apostolo ad Romanos 1. v. 21. ubi de antiquis Græcis & Romanis ait: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c.*

Respondetur cum Suariorum cap. 35. num. 22. incertum esse utrum aliquando Deus auxilium gentibus ad hunc actum exercendum non dederit, nec per discursum, aut ex effectibus posse contrarium dignosci. Ad illud verò sancti Pauli dici potest, non loqui ipsum de uno vel altero actu, sed de frequentibus & constanter, quâ de causâ absolute de iis dici potest, quod Deum non sicut Deum glorificaverint; esto enim bonos aliquos actus interdum habuerint, postea nihilominus accedente tentatione, ad se reversi evanuerunt in cogitationibus suis, & superbiâ elati, Deum ejusque mandata contempserunt.

Sic etiam dicuntur Angeli non glorificasse Deum, peccasse ab initio, & alia hujusmodi, cum tamen communis sit Theologorum sententia cum sancto Augustino 12. de civitate Dei cap. 11. & sancto Thoma 1. p. q. 62. art. 6. Angelos in gratiâ fuisse creatos, imò omnes tam malos quàm bonos se primò creationis instanti ad Deum convertisse: Unde S. Thomas 1. p. q. 63. art. 5. corpore ait erroneum esse affirmare demonem primò suæ creationis instanti peccasse. Eodem ergo modo, licet Philosophi Deum per actus aliquos bonos honorare interdum potuerint, adeo tamen pauci fuerunt respectu peccatorum, quibus ipsum offenderunt, ut iis non obstantibus dici absolute possint, illum non sicut Deum glorificasse.

V. Inter statum naturæ lapsæ hic in via, & statum damnatorum circa actum amoris Dei lata est disparitas.

In statu naturæ lapsæ cessant interdum impedimenta ad eliciendum actum amoris Dei.

VI. Dices: Nullus unquam viribus naturæ elicit actum amoris Dei; ergo elici non potest.

VII. Non constat aliquos ex gentilibus actus amoris Dei aliquando non eliciisse.

VIII. Angeli omnes, tam mali quàm boni ad Deum se aliquando converterunt, & tamen dicuntur mali non glorificasse Deum.

**IX.** Respondetur secundò non esse in presenti sermone de naturâ aliqua, quæ per multorum actualium commissionem diversos malos habitus contraxit, & vitiiis ita irretita est, & immersa, ut eiis videatur vix posse emergere: homo enim qui in hoc statu est, ægrè etiam per gratiam, nisi valde specialem ad huiusmodi actus eliciendos excitatur. Procedit itaque præfens quæstio de naturâ lapsâ, seu peccato originali infectâ, unde & dicunt communiter eandem de illâ esse rationem ac de naturâ in puris naturalibus constituta, ut videre est in Suariorum hîc, cap. 36. num. 2. & aliis contra Alvarez: ubi apertè supponunt non esse sermone de naturâ aliquâ vitiiis hoc modo corruptâ.

*Non est hic sermo de illo, qui plurimis admittis sceleribus variis habitus vitiosos contraxit.*

Contrà secundò: nec enim omnis amor etiam super omnia, est formaliter & explicitè comparatus, ut diximus, sed aliquando solum virtualiter, nempe talis actus ex modo tendendi amoris erga Deum, ut illo stante, peccare quis non possit, sed insurgente tentatione vel resistere ei homo debeat, vel ab hoc amore cessare.

**III.** *Omnia autem Dei non est formaliter, sed solum virtualiter comparatum.*

Contrà tertio: esto siquidem hunc actum ingrediat aliquam comparatio, etiam explicita, adhuc tamen potest bonitas divina cum claritate aliqua proponi, difficultas autem moralis in observandis mandatis valde obscurè, & cum exigua advertentia: quo in casu videtur posse hominem & Deum diligere, & velle etiam absolute mandata servare.

**IV.** *Difficultas in observandis mandatis potest obscure tantum proponi.*

Contrà quartò: hoc namque argumentum non probat actum eiusmodi amoris esse simpliciter impossibilem in naturâ lapsâ, etiam morali impossibilitate, sed ad summum esse impossibilem in eo qui novit hanc difficultatem; at verò fieri potest, ut aliquis eam ignoret. Unde & Pelagiani defacto in illo errore fuerunt, imò aliqui etiam Catholici existimaverunt posse hominem solis naturæ viribus totam legem naturalem implere; ergo in his saltem nulla apprehenditur impossibilitas ex parte objecti, & consequenter nihil vetat, quò minus huiusmodi actum eliciant.

**V.** *Potest aliquis difficultatem observationis mandatorum ignorare, ergo si saltem possit hunc actum amoris elicere.*

SECTIO SEXTA.

Præcipua difficultas circa actum amoris Dei in naturâ lapsâ naturæ viribus eliciendum.

**I.** **D**ICIS sextò: amor Dei super omnia, sive is supernaturalis sit, sive naturalis, includit voluntatem observandi omnia mandata, sed non potest homo velle viribus naturæ observare omnia mandata: nec enim potest quis velle viribus naturæ id facere, quod viribus naturæ fieri non potest, alioqui vellet impossibile. Hoc est fundamentum Patris Suarez hîc, cap. 34. num. 17. ob quod contrariam sententiam defendit.

*Dicitur: Non potest quis natura viribus velle servare omnia mandata, cum sic servare ea nequeat.*

**II.** Sed contrà primò: aliud namque est viribus naturæ velle observare omnia mandata, aliud velle ea observare viribus naturæ; licet ergo hoc secundum homo non possit, de quo plura postea; primum tamen non repugnat: potest enim quis viribus naturæ velle id, quod viribus naturæ præstare non potest: sic cui concessa potestas esset patrandi miracula, ut curandi morbos, posset naturali voluntate velle eos curare, quamvis naturaliter curare illos nequeat: sic Sacerdos aliquis potest naturali, imò peccaminosâ voluntate velle consecrare, & corpus Christi miraculoso illo modo sub speciebus constituere, & gratiam per baptismum in pueri animâ producere, etiam si neutrum horum præstare possit naturaliter. Eodem ergo modo, quidni poterit quis naturaliter velle servare mandata sperans peculiare ad hoc auxilium sibi à Deo concedendum; sicut hæretici actu naturali sperant beatitudinem, eam tamen sperant se per gratiam obtenturos.

*Aliud est naturaliter velle facere aliquid, aliud velle facere naturaliter.*

*Res hæc exemplis curis declaratur.*

Contrà quintò: nec enim ad amorem Dei, etiam super omnia, requiri videtur propositum ita absolutum, ut statuat quis simpliciter & explicitè omnia mandata observare, seu nunquam se deinceps peccaturum, sed sufficit, si statuat tentationibus omnibus prout occurrunt resistere quantum potest: hoc enim Suarez ipse sufficere fatetur ad actum attritionis, qui nihilominus ex parte propositi æquè universalis esse debet, ac contritio, licet differat ex parte motivi. Quare etiam si quis putet se postea verisimiliter peccaturum, adhuc habere potest dolorem à Conciliis ad Sacramentum Penitentiae requisitum, imò ut multi putant, etiam si Deus hoc ipsi revelaret, fore nimirum ut postea peccaret; ergo non requiritur propositum ita omnino explicitum, & absolutum.

**VI.** *Qualis propositum videtur omnia peccata se ad actum amoris Dei necessarium.*

Hæc salvo meliori iudicio mihi videntur non improbabilia: quæ tamen non eo animo propono, ut absolute hoc affirmare velim, cum contraria sententia, & communior multò sit, & ad divinæ gratiæ, quam hic illustrandam suscepimus, commendationem accomodatior. Quod si quis contrariam opinionem sequi velit, dicere poterit huiusmodi actum amoris, cum præstans adeò sit, difficultatem in se majorem continere, quam ut solis naturæ viribus superari queat.

**VII.** *Contraria sententia multo est inter theologos communior.*

